



2  
3.  
4  
5'  
6  
7  
8  
9  
10  
11



D. T. O. M. A.  
DISPUTATIONEM HANC JURIDICAM

DE  
COMMODATO,  
ET EJUS ACTIONE:

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi, & Consultissimi Viri,*  
DN. GEORGII DAVIDIS LOCAMERI, J. U. D. ET IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE, PROFESSORIS PUBLICI, FACULTATIS JURIDICÆ P. T. DECANI SPECTABILIS. PRÆCEPTORIS AC FAUTORIS SUI ÆTERNUM COLENDI:

*Ad diem Maij.*

*In Auditorio Ictorum exercitiij gratiã  
proponit*

JOANNES ULRICUS STIEBER  
Spirensis Nemetanus.



ARGENTORATI,  
Typis HOLLANDI FINDLERI,

Anno M. DC. XXIII.

XXX

459

1623, 6.



MAGNIFICIS,  
NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSUL-  
TISSIMIS VIRIS,

DN. JOANNI GEORGIO von der Grün  
DN. RICHARDO Dieterdt

Augustissimi  
Imp. Cam. Ju-  
dicii Assessor-  
ibus gravissi-  
mis.

Dn. Dn. Meccoenatibus, fautoribus, promotori-  
bus, æterno venerationis cultu prosequen-  
dis, exercitium hoc juridicum, debitæ obser-  
vantia ergò

consecrat

JOANNES ULRICUS STIEBER  
Aut. & Resp.

Anno M. DC. XXIII



## DE COMMODATO EJVSQVE ACTIONE.

### THESIS I.



*Commodatum est contractus<sup>a</sup> juris gentium<sup>b</sup> nominatus,<sup>c</sup> realis,<sup>d</sup> bonæ fidei,<sup>e</sup> quo res mobilis vel immobilis, alteri ad certum usum gratis conceditur, ut eadem ipsa finito usu restituatur.<sup>f</sup>*

*a)* Cum duplex sit definitio, ex mente Logicorum, altera nominis, altera rei, operæ pretium est utramq; in hoc nostro contractu observare. Et quidem quod ad nomen attinet, dicunt id alii à commodando, hoc est, beneficium alicui conferendo descendere: *Obrecht. disp. 13. th. 2.* Alij verò, secundum glossam commodatum ajunt appellatum esse, quasi ad commodum utentis datum; inter hos est, *Schneidevv. in §. item is cui. In. Quib. mod. re cont.* Non inconcinna autem allusio & ad naturam contractus quàm proximè accedens, hæc est, quod Commodatum sit, quasi cum modo datum. *Wesenb. in parat. D. Commod. n. 2.* Hæc de nomine: Rei definitio in eo consistit, ut dicamus esse contractum, & quidem verum *§. item is, In. Quib. mod. re. l. 1. §. 1. & 3. D. de Ob. & Act. l. 23. D. de R. I non quasi, argto. t. t. In. de Obl. qua qua ex cont.* Continet enim ea omnia, quæ ad substantiam contractus pertinent, & in primis ultro citroq; obligationem, *l. labeo 19. D. de V. Sig.* *b)* Inter contractus enim juris gentium refertur à *Just Imp, in §. 2. In. de jur. N. G. & C. & à Icto Ulpian in l. 7. p. & §. 1. D. de pactis.* *c)* Non enim in generali appellatione contractus substitit: sed in speciale nomen, exemplo Emtionis, Locationis, Mandati, Depositi &c. transit *d. l. juris gentium 7. §. 1. D. de pactis.* *d)* Non in nudo consensu consistit, sed amplius ad sui perfectionem requirit rei interventum, ita ut nisi interveniente illâ commodatum

rectè dici nequeat l. 1. §. 1. & 3. D. de Ob. & A. §. 2. In quib. mod. re. Ut enim depositum non est, et si conveniant duo de re deponenda, nisi res ipsa deponatur arg. l. 1. in p. D. de positi §. 3. In quib. mod. re. nec creditum, nisi quatenus res intervenit vel pecunia numerata est, l. 2. §. 3. l. 30. D. de reb. cred. l. 17. p. D. de pactis l. cum ultra C. de non num. pec. ita nec commodatum quamvis de commodanda re consenserint: Parium quippe par ratio, adde t. t. In quib. mod. re cont. e) Cum enim effectus, actio scilicet, bonæ fidei §. actionum 28. l. de Action. l. sed mihi 3. §. 2. D. Commod. ideo ipsum etiam contractum bonæ fidei esse consequens est, effecto causam arguente. f) Reliqua hæc differentiam specificam constituunt, quæ ab aliis contractibus, potissimum, Mutuo, Precario, Deposito sæcernitur, ut in sequentibus thesibus aliquantò latius declarabimus, hæc generaliter dixisse sufficiat.

## I I.

*Causa efficiens Commodati, remota est Jus gentium<sup>a</sup> propinqua & principalis consensus contrahentium.*

a) Originem si spectare velimus, unde contractus hic oriatur, offert se statim Jus gentium à quo, ceu à fonte, omnes propemodum conventiones, Emptiones, Locationes, deposita, societates, manarunt §. 2. J. de Jur. N. G. & C. l. 7. p. D. de Pactis Si verò propius ad rem accedamus, & personas intueamur contrahentium, causam efficientem consensum deprehendemus, quo sine, nulla obligatio, nulla conventio firma esse potest, textus est in l. 1. §. 3. D. de pact. l. 55. D. de O. & A. Consensus autem liber sit oportet, non vi extortus, vel expressus metu, hic enim consensui contrariatur. l. 116. D. de R. I. Metus porro qualis intelligendus sit demonstrant, l. 2. l. 3. §. 1. l. 4. §. 6. D. quod metus causa scilicet qui in constantem virum possit cadere d. l. 6. D. quod metus causa. Vani enim timoris nulla est exculatio. l. si quis 13. in p. D. de rejudic. l. 2. in fin. D. ex quib. causis maj. l. 184. D. de R. I. Præterea cum consensum requirimus, removemus simul dolum, quo quis circumventus contrahit cum aliquo t. t. D. de dolo malo. l. hujusmodi 8. §. servum. 5. D. de Leg. 1. l. sed et si 21. D. solut. matr. Et errorem qui etiam consensui obstat. l. In omnib. 57. D. de Ob. & A. l. 2. in p. D. de judiciis. l. si per errorem is. D. de Jurisdic. d. l. 116. de R. I. Ex quibus consequens est eos solos contractū hunc celebrare posse, qui & consentire possunt; prohiberi contra quibus consensus vel ætate, vel morbo

morbo, vel lege denegatus est. Pupillis & infantibus ætas negavit  
 consensum; horum enim asserente Justiniano *in §. sed quod diximus*  
*In. de in ut. stip. & §. 1 In. quib. non est perm. test:* nullum iudicium est;  
 Et ideo sine autoritate tutorum obligari non possunt *l. 1. §. fin. h. t. l.*  
*1. §. 13. D. de. Ob. & A. p. & §. 1. I. de Auth. tut.* Si tamen locupletiores  
 facti sint, utilis competit actio secundum Divi Pij rescriptum. *l. 3. in*  
*p. D. h. t. arg. l. pupillus §. p. D. de auth. tut.* Furiosis morbus abstu-  
 lit consensum, siquidem horum nulla voluntas. *l. 2. C. de contrab.*  
*emt. l. 5. & 40. D. de R. J.* (sed ij absentium & quiescentium loco ha-  
 bentur *l. 2. §. furiosus 3. D. de Jure codicil.*) ac prouide nec animus  
 contrahendi. *l. 2. h. t. l. 12. D. de reb. cred.* imo isti ne quidem ex de-  
 licto tenentur, *l. pana §. 2. D. ad L. Pomp. de paricid. l. 12. D. ad L. Corn.*  
*de sicar. l. 3. §. 1. D. de injuriis l. 13. §. 1. D. de offi. presid.* Hoc tamen de  
 perpetuo furore accipiendum est non quando intervalla furoris sunt:  
 tali enim laborans morbo, ut testamentum condere, *§. 1. In. quib. non*  
*est perm. test.* ita cæteros contractus perficere posse pudandus est. *l. 2.*  
*C. de contr. emt. l. 9. C. qui testam. l. 14. D. de offic. presid. l. 17. D. qui te-*  
*stam. Paul. lib. 3. recep. sent. 4. §. furiosus.* Prodigis, siue mares sint  
 siue fœminæ (nam & his bonis interdicitur *l. 15. D. de Curat. fur. dand.*  
*Paul. lib. 4. §. 6.*) lex interdicit bonis; ut quantum ad administrationem,  
 furiosis æquiparentur. *l. 40. D. de R. I.* Ac cum nullæ sit eorum volun-  
 tas. *d. l. 40.* nec. administrationem ij habent. *l. 1. in p. D. de curat. fu-*  
*rios l. 10. in p. D. de reb. cred. nec alienandi potestaté. l. si sciens 26 D. de*  
*contr. emt:* nec testamenti factionem *l. 18. D. qui testam fac.* Cæte-  
 rum quod acquisitionem attinet tacitè ij velle videntur; unde acqui-  
 rere hereditatem posse dicuntur, *l. 5. in. fin. D. de aquiren. hered. l. 6. de*  
*V. O. l. 18. §. 2. D. de castr. pecul.*

## I I.

*Commodati Materia<sup>a</sup> sunt res mobiles<sup>b</sup> & soli,<sup>c</sup> nec re-  
 fert propria sint, an aliena,<sup>d</sup> dum tamen usu nō consumantur.*

*a)* De materia commodati non satis conveniebat inter veteres  
 ICtos: Labeone existimante non commodari posse res soli, sed uten-  
 das dari. Cassio contra opinante, rectè commodari posse immobilia:  
 Viviano amplius, & habitationem in hunc contractum incidere arbi-  
 trante. *l. 1. §. 1. h. t.* sed his diremta videtur per Ulpianum, cujus sen-  
 tentia ut juri consentanea in pandectas relata, quæ Cassij probat opi-  
 nionem

tionem l. 1. §. 1. ibi: sed ut apparet, propriè res commodari dicitur qua  
 solè est D. h. t. Habitationem autem à Domino gratis concedi posse  
 autumo, ut & usufructum ab usu fructuario, per textum in §. 1. & §. In:  
 de usu & habitat. nec non precariò dari l. 2. l. & habet §. precario D. de  
 precario. Quamvis de habitatione, utrum commodari possit dubitet  
 Ulpianus in l. si gratuitam 17. D. de præscrip. verb. tutius existimans  
 esse præscriptis verbis agere quam commodati, ex sententia Viviani  
 d. l. 17. D. de præsc. verb. vid. Col. Jurid. Arg. lib. 13. tit. 6. th. 6. b) Ut  
 vestis, vasa, argentum, aurum, homo, servus, equus, jumenta & alia  
 multa vid. textus in l. 1. §. 1. l. 3. §. fin. l. 4. l. 5. §. 4. 6. 8. 9. 10. 12. 13.  
 14. 15. l. 18. §. 3. l. 20. l. 22. l. fin. D. h. t. adde Coll. Jurid. Argent. lib. 13.  
 tit. 6. th. 6. c) Hæc una differentia est, quâ à mutuo distat com-  
 modatum; Illud n. in rebus tantum, quæ pondere, numero, mensurâ  
 constant, consistit. l. 2. §. 1. de reb. cred. l. 1. §. 2. de O. & A. p. In quib.  
 mod. re cont. hoc etiam in rebus aliis l. 1. §. 1. D. h. t. d) Altera diffe-  
 rentia est, quòd commodare possumus non tantum res nostras, sed  
 etiam alienas, quas possidemus, etiam si scientes alienas possideamus  
 l. 15. h. t. aded quidem ut etiam fur & prædo si commodaverit vel de-  
 posuerit, habeat actionem coæodati vel depositi l. 16. D. h. t. l. non à ju-  
 dice 64. ff. de judiciis. l. 1. §. si prædo 39. ff. depositi nisi fortè dominus super-  
 veniat, cui magis reddenda est l. bona fidei 31. §. 1. D. depositi. Mutuare verò  
 regulariter non possumus nisi res proprias l. 2. §. 2. D. de reb. cred. l. 13.  
 p. D. d. t. Ratio est quia in mutuo dominium transfertur, & de meo  
 tuum fit d. l. 2. §. 2. D. de R. C. p. In quib. mod. re cont. cum comoda-  
 tæ rei usum tantum concedamus retentâ possessione ejus & proprieta-  
 te l. rei commod. 8. D. h. l. l. 2. §. quod vulgo 1. D. pro emtor: l. 9. D. de  
 reivind nemo n. commodando, rem ejus facit qui accipit. l. nemo 9.  
 h. t. e) l. 3. in fin h. t. nisi fortè ad ostentationem & pompam d. l. 3.  
 in fin. cum sæpè dicis causâ numeratio intercedat. l. 4. h. t.

I V.

*Forma<sup>a</sup> commodati hæc est, rem gratis<sup>b</sup> ad certum  
 usum<sup>c</sup> concessam esse, ut finito usu eadem nobis in specie re-  
 stituatur.*

a) Formalis causæ officium est, rem à re distinguere, & dare  
 essentiam, id quod hic tradita forma facit. b) Primò enim rem gra-  
 tis dare jubet §. 2. in fin. In quib. mod. re. l. 5. §. 2. & §. rem tibi. 12. D.  
 h. t. l. si



*h. t. l. fisciens 61. §. circa 6. D. de furtis.* Quâ notâ secernitur primò à Locatione, quâ in merces est, & quidem in pecuniâ numeratâ *l. 1. §. si quis seruum 9. D. de positi. naturalis §. 2. D. de præscip. verb. §. 1. & 2. In. de Locat. junct. §. 1. I. de emtion* deinde discernitur à contractu innominato, in quo merces alia in re quam in pecunia consistit *d. l. 1. §. 9. §. 2. in fin. In. de Locat. & conduct. d. l. §. 2. D. de præscip. verb. c.)* Secundò concedit ad certum usum; Unde magis elucet quod ait Wefen. in paral. D. comm: n. 2. Commodatum dici quasi cum modo datum, & commodare nihil aliud esse, quàm rem ad certum aliquem usum utendam dare. Et hinc sumitur differentia commodati & precarij; Ut hoc roganti simpliciter detur, nullo certo utendi modo præfinito: Commodatum a: certo ac præstituto fine detur, præscripto à commodante fine modòque *l. in commodato 17. §. 3. D. h. t. Schneid. §. 2. I. quib. mod. re. n. 4.* d) Tertia inter commodatum & mutuum differentia est, quod utendam damus rem, quam commodamus, salvâ ejus substantiâ *l. 3. in fin. D. h. t.* Requiritur enim in hoc contractu ut eadē omninò in specie sive ut Logici loquuntur, in individuo reddatur, *l. si tibi. fin. D. de præsc. verb. & quidē eadē bonitate; nam si deterior reddatur, reddi non viderur. l. 3. §. 1. D. h. t. l. 14 p. D. de V. S.* Quod licet etiam obineat in mutuo, ut eadē videlicet bonitate restituatur quod creditum est, §. 1. I. quib. mod. re. attamen non præcisè eandem rem in individuo, requirit: sed si illud sit, incidit vel in commodatum vel depositum *d. l. ult. D. de præsc. verbis.* Substantialis forma hæc est quam dixi, rem gratis ad certum usum concedere, ut eadem ipsa nobis restituatur; quod licet expressè actum non fuerit, tacitè ex natura contractus videtur conventum *argumento l. 4. D. de reb. cred.* Ex accidenti autem nonnunquam pactum adjicitur, ut in omnibus contractibus fieri potest, *l. 1. §. 6. depositi. l. 23. D. de R. I. forte de re commodata certo loco reddenda & tempore l. 5. in p. D. h. t. t. t. D. de eo quod cert. loc.* Item de non præstanda à commodario culpa, vel è contrario non tantùm de præstanda culpa, sed etiam casu, atque periculo, prout fieri potest. *l. 1. C. b. t. l. 1. §. sæpe evenit. 39. D. depositi, atq. l. que fortuitis 6. C. de ping. act. l. 7. §. sed et si 15. D. de pactis l. & Ariston 39. D. Mandati. l. 23. de R. I. planè ne dolus præstetur conveniri non potest. l. 17. in p. h. t. l. 27. §. illud. 3. D. de pact. d. l. 23. de R. I. contra bonos enim mores hæc pactio est, d. l. 27. §. illud. D. depositi, quæ nullam vim habere debet, ut est juris explorati. l. pacta. 6. C. de pactis.*

Finis

*Finis est, ut communicato rerum usu, alii aliis auxilientur & succurrant.*

Communis finis omnibus contractibus est, necessitas naturalis ope & auxilio alterius indigens ut sublevetur: proprius autem commodati finis rectè hic videtur constitui posse, ut liceat uti re commodatà secundum præscriptum usum citra deteriorationem *l. 17. §. 3. l. ult. l. 3. §. 1. D. h. t.* Et quemadmodum emtio-venditio ad hoc inventa est, ut sit usus commerciorum frequentior, quibus necessaria ex aliis terris apportentur, nullà tam fertili terrà, aut uberi solo, quod quævis producat.

Hinc segetes, illinc veniunt felicius uvæ:

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,

At Chalibes nudi ferrum &c: ita etiam commodatum introductum, ut officio humanitatis subveniat naturæ legibus nobis conjuncto, nostram desideranti opem; atque hoc pacto vinculo mutuo obstringantur homines invicem, quorum nullus talis tantùve, quin interdum alterius fidem imploret.

## VI.

*Effectus est, Obligatio, a que actionem parit Commodati, civilem, b personalem, c rei persecutoriam. d*

a) Generale nomen obligationis est, vinculi illius quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ secundum civitatis nostræ jurap. *I. de oblig.* Oritur enim obligatio ex contractu, aut ex quasi contractu, aut ex maleficio, aut quasi maleficio. *§. 2. I. de Oblig.* Hoc autem loco specialis est, ex commodato descendens; Commodatum enim parit obligationem; obligatio, actionem. *l. licet. 42. §. ea obligatio 2. D. de procurat.* b) Civilis est, quia jure civili prodita est, *§. 2. I. de oblig. junct. §. 2. In. quib. mod. re.* Nec obstat quod prætor se daturum, ex hoc contractu, judicium polliceatur in *l. 1. in p. h. t.* dicit enim illud non ut novam actionem ex suâ jurisdictione constituens, sed jam introductam jure civili litigaturis concedens & accommo-dans: ut DD. explicant. c) Ex generali regula, tradita in *§. 1. I. de ait.* quâ omnes actiones personales esse dicuntur, quæcunque ex contractu vel quasi, delicto vel quasi oriuntur, adde *l. actionum 25. §. 1. D. de O. & A.* d) Persecutio quædam in rem est, quædam in personam, rei

rei persequendæ gratiâ, l. actio 28. D. de O. & A. Cujus posterioris generis & hæc est actio. §. 17. I. de act. l. actio 28. D. de O. & A. l. qui servum 34. §. 2. ff. d. t.

V I I.

Porro Actio Commodati duplex est, directa, <sup>a</sup> & contraria. Directa datur commodanti <sup>b</sup> adversus commodatariū <sup>c</sup>.

a) Actionis divisionem, in directam & contrariam; tum legibus fundatam, tum DD. consensu receptâ secutus, comodati actionē aliam directā, aliā contrariam posui. Directa quidē actio duplici ferè modo accipitur; altero pro ea actione quæ ex verbis & mente legis nascitur, quo respectu utili opponitur, §. ceterum 16. I. de L. Aquil. arg. l. 4. D. si quadrup. paup. l. actio 47. D. de neg. gest. l. postumo 24. D. de tut. & rat. l. naturalis 12. in p. sine D. de cond. indeb. l. 17. C. de negot. gest. Schneid. in §. omnium I. de act. n. 5. altero pro principali, quæ contrariæ opponitur, l. 17. §. 1. & ult. D. h. t. l. 10. D. de neg. gestis & alibi passim. in qua significatione & hoc loco eam accipimus: arg. rubr. commodati vel contra. b) Rem commodatam repetenti; ideo enim qui commodavit hæc experitur actione, adversus commodatarium, quia rem petit commodatam & quia comodavit. l. 1. in p. l. commodare 15. cum l. seq. D. h. t. datur & heredi, quia persecutoria rei est; & perpetua. §. 17. I. de act. adde p. I. de temp. actionib. neque interest dominus sit rei, commodans nec ne, cum etiam fur uti possit hoc iudicio l. 15. & 16. h. t. nisi fortè dominus sit qui vindicare voluerit, huic enim potius, totius rei inspectâ naturâ, res restituenda l. bonæ fidei 31. §. 1. D. depositi. adde l. qui rem 15. D. d. t. c) Sive patrem familias & puberem; cui aliquid commodatum est, sive filium familias: & quidem directò l. 3. §. si filiofam. D. h. t. contra servum & ancillam peculiotenus d. l. 3. §. 4. Impubes sine tutoris autoritate ita tenetur, & conveniri potest, si locupletior fuerit factus, alias secus. l. 1. in fin. l. 2. l. 3. in p. D. h. t. l. 13. §. 1. ff. de cond. indeb. l. 5. in p. ff. de auth. tut. l. 10. ff. de institor. Heres commodatarii pro ea parte, quâ heres est, convenitur, nisi fortè facultatem totius rei restituendæ habeat. l. 3. §. heres 3. D. h. t. l. 3. C. eod. t. quo casu sæpè unus plurimum vicem subire cogitur, arg. l. si quis 6. §. 1. ff. de edendo. aut si ex facto heredis agatur, l. 17. §. 1. D. h. t. Datur interdum & adversus plures in solidum, qui simul acceperunt commodatum, non secus atq; ex stipulatu actio in correos datur, l. 5. §. fin. h. t. duorum autem reorum hæc conditio est,

B

quod



quod singuli in solidum in obligati: *l. item queritur 13. §. 9. D. locatâ*  
*l. eandem 9. ff. de duob. reis. l. 2. ff. d. t. §. 1. I. de duob. reis.*

V I I I.

*Datur hæc actio directâ variis ex causis, a nec tantum*  
*ut res ipsa b restituatur, sed etiam ut accessiones c præstentur:*

a) Primò ob moram quam in re restituenda committit com-  
modatarius; Committit verò eam si ad certum tempus re commoda-  
tâ, finito eo, & loco eo quo convenit, non reddiderit. *l. 5. in p. l. in*  
*commodato §. sicut D. h. t. §. 2. I. quib. mod. re. l. 1. §. 3. D. de Ob. & A. l.*  
*in bonâ 7. l. 9. D. de eo quod cert. loc.* Deinde datur, si is contra præ-  
scriptum modum fuerit usus, vel ab usus re commodatâ; quâ ratione  
non modò commodati, sed furti insuper, & L. Aquiliæ actione tene-  
bitur. *l. 5. §. 8. l. 18. in p. D. h. t.* Ut si argentum acceperit, quasi ami-  
cos invitaturus ad cœnam, & id peregrè secum tulerit §. *furtum aut.*  
*6. I. de Ob. quæ ex delict. l. qui furtum 16 D. de cond. furt. l. qui servum*  
*34. §. 1. D. de Ob. & A. l. qui vas 48. §. 4. D. de furtis l. qui re. sibi 76. p.*  
*D. d. t.* b) Si adhuc salva sit; quod si casu fortuito perit nullâ com-  
modatarii præcedente culpâ, liberatur comodatarius, & actio conse-  
quenter expirat. Sin dolo aut culpâ comodatarii interiit res, per  
hanc actionem, quia rem amplius non existentem restituere non po-  
test, arg. *l. si homo 69. D. de V. O. cap. nemo de R. F. in 6. l. 135. & l.*  
*185. D. eod. tit. æstimationem, & id quod alterius interest commoda-*  
*tarius præstabit. l. 3. §. 1. l. 17. in fin. l. 5. §. 13. in fin. D. h. t. l. si culpâ 63.*  
*D. de rei Vind.* c) Quem enim sequuntur incommoda, eum etiam  
commoda sequi æquum est, *l. fin. §. sed cum 3. C. de furtis. l. 10. D. de*  
*R. I.* Igitur cum incommodum ex casu proveniens, qui humanis con-  
siliis evitari nequit, commodantem sequatur, *l. 5. §. quod vero 4. & 13.*  
*D. h. t. adde l. 23. D. de R. I.* consequenter etiam accessiones rei eun-  
dem sequuntur; quales sunt fructus: *l. videamus 38. §. 10. & 15. D. de*  
*usuris* nec non usuræ ex mora *l. mora 32 §. in bonâ fidei. D. de usuris.*  
Ac si ex dolo & contumacia non restituat rem, quanti in litem jura-  
verit actor condemnabitur commodatarius. *l. 3. §. in hac 2. h. t. l.*  
*in actionib. 5. §. 3. l. tutor 8. D. de in lit. jurand. l. 41. D. de Rei Vind.* planè  
ob culpam jurari in litem non potest, sed arbitrio judicis æstimatio  
relinquenda est *d. l. 5. §. 3. l. videamus. 4. in fin. D. de in lit. jurand.*

Et

*Et Venit in eam omnis culpa, <sup>a</sup> dolus, <sup>b</sup> interdum omne periculum. <sup>c</sup>*

a) Triplicem culpam DD. constituunt, quarum in jure fit mentio: Latam videlicet, levem, & levissimam. Lata culpa est non ad eum modum esse diligentem quem hominum natura desiderat. *l. quod Nerva 32. D. depositi* seu non intelligere id quod omnes intelligunt. *l. lata 223. de V. S. l. 226. D. d. t. l. si fidejussor 29. in p. D. mandati.* Levis culpæ meminerunt textus in *l. mulier 22. §. 3. ad D. Sctum Trebell. l. quicquid. 7. C. arbitri: tut. l. tutor. 20. C. de neg. gest. & alibi.* Levissima qualis fit demonstratur, præter *l. 44. D. ad L. Aquil. in l. si quis 9. §. 1. v. idem. l. si merces 25. §. pen. D. Locati. l. 31. D. ad L. Aquil.* His generaliter de culpa positæ novâ distinctione opus est ut dicamus omnem à commodatario præstandam culpam, Aut enim solius commodatarii gratiâ res datur, quod fit plerumque *l. 5. §. 2 v. commodatum D. h. t. l. si servus. 61. §. 6. D. de furtis,* est enim gratuitum suâ naturâ *§. 2. in fin. I. quib. mod. re & tum omnis diligentia præstanda est, quam diligentissimus quisq; paterfamilias potest. d. §. 2. I. d. t. adde l. 18. p. l. 5. §. 2. & 5. D. h. t. l. I. §. & ille 4. D. de O. & A. l. questum 8 §. 3 D. de precar. Paul. lib. sen. 2. sent. 4. §. servus.* Aut utriusq; gratiâ commodatur, forte si duo amicum communem ad cœnam invitaverint, & alter commodaverit argentum, præter dolum, culpa præstanda est. *l. 18. in p. h. t.* at quænam culpa? quæ in pignore præstanda est, id est, levis: *d. l. 18. in p. l. 10. §. 1. h. t. §. fin. I. quib. mod. re l. si cum. 13. cum l. seq. D. de pignorat.* Aut deniq; solius comodatantis respectu, ubi de solo dolo & culpa lata (quæ dolo comparatur *l. 32. D. de positi. l. mulier 22. D. ad Sctum Trebell. l. questum 8. §. 3. D. de precario. l. 226. D. d. V. S.*) commodatarius tenebitur *l. si mei 12. D. h. t.* ut puta si sponsus sponsæ ut honestius ad se deduceretur comodavit, vel ludos edens Prætor scenicis aliquid dedit. *l. 5. §. interdum. 10. h. t.* b) *d. l. 5. §. 2. arg. l. 18. in p. h. t. & l. 21. l. 10. D. de R. I.* c) His scilicet casibus, I. si convenerit inter contrahentes ut periculum in se reciperet commodatarius *l. 1. C. h. t. l. quæ fortuitis 6. C. de pignorat. l. 1. §. saepe evenit 35. D. de positi. l. 23. D. de R. I. II.* Si commodatarij culpâ periculum acciderit, ut si ruinâ vel incendio exorto res commodatas, cum potuerit non salvaverit. *l. 5. §. 3. & 4. h. t. III.* Si rem commodatam æstimatam recepit. *d. l. 5. §. 3. æstimatio quippe ejus facit periculum*

qui suscipit l. 1. §. estimatio. ff. de estimator. l. estimata ff. solut. matrim.  
quod tamen limitat & restringit Dominus Gothof: ad d. l. 5. §. 3. h. t.  
ex lege si gratuitam 17. §. 1. ff. de prescript. verbis. IV. Denique si mo-  
ram in restituendo faciat commodatarius, ejus erit periculum. arg. l.  
quod te. §. D. de R. C. l. si in Asia 12. §. fin. D. depositi. l. si ex legati 23. l.  
82. §. si post ff. de V. O. l. cum servus 39. §. 1. v. ipsius l. cum res 47. §. fin.  
ff. de legat. 1. Attamen si certum sit rem eodem modo etiam apud  
commodantem fuisse perituram licet mora nulla facta fuisset, non te-  
neri ad aestimationem commodatarius arbitror ex l. is qui 44. D. ex  
quib. causis maj. l. 14. §. 1. in fin. D. depositi. l. 14. §. aliquando §. & §.  
quod si homo 11. D. quod metus caus. His exceptis, regulariter ad dantem  
utpote dominum spectat periculum, haud aliter atque in pignore, l.  
quæ fortuitis 6. l. 9. C. de pignorat. l. si inter 21. §. 2. De pignorib. l. sicut  
vim. 19. C. de pignor. deposito l. 5. §. 2. h. t. l. 1. §. 35. in fin. D. deposit.  
& cæteris contractibus l. sed de damno 41. ff. Locat. l. milites 12. in p.  
fine ff. de custod. reo. l. 135. de V. S.

X.

*Concurrit nonnunquam cum hac actione, actio L. Aquil-  
lie, a itemque furti. b*

a) Si commodatarius rem fecerit deteriore *l. 18. §. 1. l. 7. §. 1. D. h. t.* & in hanc actionem non tantum servus, quadrupes, sed aliæ etiam res quæ anima carent, veniunt. §. capite 13. I. de L. Aquil. l. 29. §. 5. l. 27. §. si quis 18. & seqq. D. ad L. Aquil. b) Si aliter utitur re commodatâ *l. qui furtim 16. ff. de cond. furt. §. 6. I. de Ob. quæ ex delict. l. 5. §. 8. h. t. l. qui servum 34. §. 1. l. qui re 76. D. furtis.* Interest tamen quâ actione usus sit commodans, conditione seu actione L. Aquilia; an vero actione commodati. Si primò intenderit actionem ex L. Aquilia, non superest commodati; sed si prius commodati egerit, locus relinquetur actioni ex L. Aquil. *l. 18. §. 1. h. t. l. 34. in fin. ff. de Obl. & Act. l. 71. in p. D. de furtis.*

X I.

*Contraria a commodati actio datur commodatario, ad  
obtinenda ea b quæ circa commodatum ipsi commodatario à  
commodante sunt prestanda.*

a) Seu contrarium iudicium: ut habetur in *l. 5. §. quin imò. l. 17. §. fin. l. 21. p. h. t.* actio autem contraria vocatur in *l. 17. §. 1. l. 18. §. fin.*

*fin. l. 22. h. t. & c. b)* Quæ ad tria genera referri possunt, secundum *Bocer. disp. 9. th. 26.* Aut enim experimur, cum res repetitur, ante finitum usum ad quem concessa fuit ab initio *l. 17. §. 3. h. t.* ut eam retinere liceat. Quanquam etenim voluntatis sit ab initio, commodare, tamen intempestivè rei commodatæ usum auferre nequaquam potest commodans, sed concedere tenetur, in quem res data est usum, *d. l. 17. §. sicut. h. t.* Et sic quod ante voluntatis erat postea necessitatis esse incipit, *d. l. 17. §. 3. facit l. 5. §. 1. & seq. l. 6. §. 1. l. si mandavero 22. §. fin. D. mandati.* Aut secundò agimus ad resarciendum damnum, quod per commodatum nobis contigit. Ut si quis vasa sciens vitiosa commodaverit, & quod erat infusum effluerit, vel si quis sciens furem esse servum commodaverit, & is furto quidpiam subtraxerit; tenebitur enim his nominibus commodans. *l. 18. §. 3. l. pen. h. t. l. 31. in fin. §. ff. de pignorat.* præterea si pretium rei perditæ commodanti præstiterit reus; posteaque rursus in commodantis bona ea res pervenerit; tunc enim aut rem aut aestimationem reddere compellerur commodans. *l. 17. in fin. h. t. l. 9. ff. de rei vindic.* Aut tertio expensas necessarias & magnas factas in curationem v. c. servorum vel reductionem eorundem petimus à commodante: modica vero impendia cibariorum v. c. repetere non possumus. *l. 18. §. 2. cir. fin. l. 22. h. t. facit l. item si 30. D. de edificio.* Utiles etiam impensas venire in hanc actionem probari potest. *ex l. si servos 25. D. de pignor. l. 38. D. de R. Vind. ita ut pro arbitrio iudicis temperentur. d. l. 38. de R. Vind. l. continuus 137. §. 3. D. de V. O.* Cæterum prætextu debiti restitutionem rei commodatæ non rectè recusari constat *ex l. fin. C. commod.* Quanquam propter impensas in rem ipsam commodatam factas retentioni sit locus. *l. creditoris 15. in fin. D. de furtis. l. si quis 20. D. de acqui. possess.* Imò & compensationem in commodati actione admittendam esse, satis evidentè ostendit *§. 31. Inst. de action.*

## X I I.

*Dissolvitur Commodati obligatio & actio præter acceptilationem<sup>a</sup> & novationem<sup>b</sup> præcipuè solutione.<sup>c</sup> Reliqua contraria ex requisitis & causis supra expositis facile perspicuntur.<sup>d</sup>*

*a)* Acceptilatione enim quivis dissolvi potest contractus. *§. 1. In quib. mod. toll. ob. l. 12. D. de acceptil.* quanquam non simpliciter &

B 3

eodem

eodem modo: Primario enim tolluntur per eam obligationes verbis contractæ, d. §. 1. l. 8. §. 3. D. de accept. Sin verò ex alia causa quid debeat; potest id in stipulationem deduci & inde per acceptilationem dissolvi. d. §. 1. l. 13. C. de solut. & liber: quæ dicitur Aquiliana stipulatio; & contingit per eam rerum omnium obligationis sublatio; §. 2. In quib. mod. toll. l. 18. §. 1. ff. de accept. l. ult. C. de acceptil. l. 4. & §. D. de transact. l. 4. l. 15. l. si causa. C. de transact. Quid verò si acceptolatum sit commodatario, nullâ prius verborum obligatione constituta, an proficiet aliquid acceptilatio ad liberationem? subtilitate juris non liberari eum puto ex l. 8. §. 3. D. de accept sed exceptione pacti aut doli mali defendi eum posse statuo. l. 19. ff. de accept. l. 8. p. D. d. r. b) Quæ commodatum ipsum omninò tollit, quanquam non faciat ut reus omninò liberetur; Est enim Novatio prioris debiti non abolitio totalis, verum in aliam obligationem transfusio atque translatio. l. 1. in p. D. de Novat. Et cadunt in eam omnes obligationes civiles & naturales d. l. 1. §. 1. nec refert verbis an consensu sint contractæ d. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de Novat. l. 2. C. eod. t. c) arg. l. 1. C. quando liceat ab emt. l. 8. §. 3. ff. de Novat. l. 80. in p. D. de solut. l. 35. l. 110. l. 153. ff. de R. I. Si videlicet restituatur vel res ipsa, vel re deperditâ ejus æstimatio solvatur l. 17. in fin. D. h. t. l. 80 ff. de solut. d) Aliquo tamen discrimine. Nam acceptilatio, novatio, solutio &c. commodato opponuntur constituto jam: siquidem hæc contractum jam constitutum resolvunt; reliqua verò hæc cum commodato opponuntur constituendo, & faciunt, quo minus fieri contractus possit. Verbi gratia cum I. requiratur consensus obstat ei error, fraus, dolus, circumventio ut dictum th. 2. sup. II. cum res requiratur sup. th. 1. lit. d. non erit commodatum nisi eâ interveniente, §. 2. I. quib. mod. re. III. quia gratuitum esse debet, sup. th. 4. lit. b. accedente mercede in alium abibit contractum l. 5. §. 2. ff. de præsc. verb. IV. quia ad certum usum datur, ideò si simpliciter concessum fuerit, commodatum non erit. sup. th. 4. lit. c.

### X I I I.

*Affine Commodato præcipuè<sup>a</sup> est Precarium,<sup>b</sup> quo res alicui gratis conceditur, nullo usu præscripto.*

a) Affines enim dici possunt alii contractus ut mutuum & depositum. Nam præterquam quod hi ambo etiam sint contractus, veri,



veri, reales, nominati. *l. 1. p. & s. 1. D. de O. & A. l. 7. §. 1. de pactis. t. tit.*  
*l. quib. mod. re.* in hoc cum commodato mutuuum convenit, quod eo  
 aliquid utendum detur, *p. 1. quib. mod. re &* quidem id quod aliquan-  
 do in commodatum potest cadere *arg. d. p. 1. d. t. l. 1. §. 1. D. de O. &*  
*A. l. 3. in fin. & l. 4. ff. commod.* Depositu[m] autem in eo cum Com-  
 modato conferri potest, quod eo res gratis detur, ut eadem in specie  
 restituatur. *§. 3. 1. quib. mod. re l. 1. §. si vestimenta 8. cum s. seq. D. de-*  
*posit.* Sed tamen nihil ad naturam commodati propius accedit quam  
 precarium, ut jam patebit. *b)* Est enim negotium partim de natura  
 donationis, partim de natura contractus participans. *l. 14. in p. D. de*  
*precar. l. eum qui 14. §. 21. ff. de furtis.* Simile commodato *l. 1. §. 3. ff. de*  
*precario.* quo aliqua res, non secus ac in commodato *§. 2. in fin. 1. quib.*  
*mod. re. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 61. §. 6. D. de furtis* gratis conceditur,  
*l. 1. p. & l. 2. §. fin. l. 3. l. 4. §. 3. & 4. D. de precar.* Et hoc primum est,  
 in quo hæc duo conveniant. Alterum in materia est. Sicut enim in  
 commodatum incidunt res mobiles *l. 1. §. 1. l. 5. §. 5. & 10. l. 18. §. 3. l.*  
*20. D. Commod. sese moventes. d. l. 5. §. 4. 6. 9. l. 22. 23. D. d. t. & soli d.*  
*l. 1. §. 1. & d. l. 4. in p. ff. de precar.* Ita & precarium non in mobilibus  
 modo, verum etiam immobilibus consistit, *d. l. 4. in p. D. de precar.*  
 & eò amplius servitutes etiam concedi possunt precario. *l. 3. l. 15. §. 2.*  
*D. de precar.* *c)* Tertium est, quod quemadmodum ad usum con-  
 ceditur commodatum, *§. 2. 1. quib. mod. re. l. 16. §. 3. D. Commod.* Ita  
 etiam conceditur precarium, *l. 4. in p. D. de precar.* Differunt autem  
 præcipuè in eo, quod commodatum ad certum usum concedatur *d. l.*  
*17. §. 3.* precarium autem simpliciter nullo præfinito modo, *Schneid.*  
*§. 2. 1. quib. mod. re. n. 4.* Unde precarium quodcumque libuerit  
 repetere potest qui concessit. *l. 1. p. l. 2. §. 2. l. 12. D. de precario.* quod  
 non potest commodatarius *sup. 0. II. lit. b.* Differunt deinde & in eo  
 quod in precario tantum dolus & culpa dolo proxima *l. 8. §. 3. & 6. ff.*  
*de precar.* In commodato verò omnis culpa præstetur, *l. 18. in p.*

*D. Com. & sup. th. 9* Atque hæc pro instituti ratione de  
 commodato dixisse sufficiat.

F I N I S.

L A U S D E O.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and appears to be a formal document or letter.

Faint, illegible text, possibly a signature or a date, located at the bottom of the page.



Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

VDMA





D. T. O. M. A.  
DISPUTATIONEM HANC JURIDICAM  
DE  
**COMMODATO,**  
ET EJUS ACTIONE:

1623,6

459

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi, & Consultissimi Viri,*  
DN. GEORGII DAVIDIS LOCAMERII, J. U. D. ET IN ALMA ARGENTORATENSIVM VNIERSITATE, PROFESSORIS PUBLICI, FACULTATIS IURIDICÆ P. T. DECANI SPECTABILIS. PRÆCEPTORIS ac fautoris sui æternum colendi:

*Ad diem Maij.*

*In Auditorio Ictorum exercitiij gratiã proponit*

JOANNES ULRICUS STIEBER  
Spirensis Nemetanus.



ARGENTORATI,  
Typis HOLLANDI FINDLERI,

Anno M. DC. XXIII.